



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Simulatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

533. **Q**Uæritur . Quid , & quotuplex sit
Simulatio ?

Resp. Quod est duplex , alia formalis ,
quæ fit cum voluntate directa decipiendi ;
alia materialis , quæ fit ob justam causam
permittendo aliorum deceptionem , eo pa-
cto , quo per æquivocationem non intendi-
tur directe , sed ob justam causam permit-
titur aliorum deceptio .

534. Quæritur . Anurgens metus gravis
sit causa justa simulandi Sacramentorum
administrationem ?

Resp. Quod simulatio formalis , quæ fit
cum voluntate directa decipiendi , sit illi-
cita tam in administrandis Sacramentis ,
quàm in quocumque alio casu , non dubi-
tatur , quippè quæ depurari non potest à
mendacio ; parum enim refert , quod men-
dacium fiat verbo , aut nutibus , aut alio si-
gno exteriori , dummodo fiat animo fallen-
di ; de simulatione tamen materiali fuit dis-
fensio inter DD. nonnulli enim putarunt,
ratione metus gravis licitam esse simula-
tionem materialem in Sacramentorum ad-
ministratione , sed eorum opinionem In-
nocent. XI. cum propof. 29. damnavit , de-
finiendo , metum ipsam mortis non esse ju-
stam causam administrandi fictè Sacra-
menta ; ratio est , quia quamvis regulari-
ter simulatio materialis tam verbis , quàm
aliis signis exterioribus ob justam causam
liceat , & possit etiam esse honesta , cum
etiam de Christo Domino dicatur : *Luc.*
24. & ipse finxit se longius ire ; nihilominus
tamen quoties simulatio aliqua externa est ,
aliquatenus Deo injuriosa , tunc nullate-

HUS-

mus licet, ne ad mortem quidem declinan-
dam, sic nullam ob causam licet exterius
adolere thus idolo, etiam sine animo ado-
lendi, quia hæc ipsa simulatio est graviter
Deo injuriola, sed in casu nostro simulare
administrationem Sacramentorum est pari-
ter Sacramētis injuriosum, ergo ne ad mor-
tem quidem declinandam ista simulatio
materialis est licita, cum reverentiā debita
Sacramentis postulet, non solum quod san-
ctè tractentur, sed etiam quod administren-
tur sincerè; gravius enim peccatum est si-
mulare Sacramenti administrationem,
quàm sacrilegè illud administrare, quia Deo
illudit; & homines decipit, qui fraudulen-
ter Sacramenta simulare præsumit.

535. Quæritur. An cum Confessarius ea-
sola Confessione Sacramentali novit pœni-
tentem accedentem ad Sacram. Mensam
esse pane Angelico indignum, possit licitè
loco Hostiæ Consecratæ præbere non con-
secratam?

Resp. Aliqui putarunt posse, modo pœ-
nitens consentiat, & Sacerdos cum Hostia
non consecrata teneat simul in manu aliam
Consecratam, ut etiam circumstantes de-
bitum objectum suæ adorationis habeant,
quæ sententia est prorsus improbabilis, &
falsa, ideo tenendum est, non posse, ra-
tio est, quia tunc Sacerdos mentiretur,
& adstantes deciperet, significaret enim se
dare Hostiam Consecratam, quam non da-
ret, unde peccaret graviter. 1. Peccato falsi-
tatis, & simulationis. 2. Peccato gravis irre-
verentiæ erga Sacram Hostiam. 3. Peccaret
exhibendo Hostiæ non Cōsecratæ externam
adorationem patriæ. 4. Præbendo occasionem
aliis ad eam adorandam, quæ omnia sunt

gra-

graviter illicita; debet igitur Consecratam præbere, ne sigillum Confessionis frangat, nec administrationem Sacramenti simulet.

536. Quæritur. An liceat Confessario proferre verba absolutionis sine animo absolvendi?

Resp. Negativè; ratio est, quia est magna irreverentia, quæ immediatè versatur, circa immediatam formam Sacramenti, institutam à Christo Domino ad hunc solum finem dimittendi peccata; & qui affirmat: *Ego te absolvo*: sine intentione absolvendi, mentitur, quod est gravis irreverentia, quæ pariter committitur proferendo verba Consecrationis sine animo Consecrandi.

537. Quæritur. Quomodo se geret Confessarius, qui in conspectu plurium circumstantium videt pœnitentem indignum esse absolutione ob defectum dispositionis, ne prodatur indignitatem peccatoris, violando sigillum?

Resp. Quod debet quasi obmurmurando recitare aliquam orationem, vel pœnitentem benedicere, non intendendo deceptionem circumstantium; sed solum permittendo illam; ne indignitatem pœnitentis prodatur, & ne sigillum violet, quia si id signum daret externum, nempe intendendo, quod intelligant absolutum eum, qui non est absolutus, mortaliter peccaret, & peccato mendacii, & contra reverentiam Sacramenti debitam; quod si præter intentionem Confessarii adstantes decipiantur, tunc is non peccat, quia Sacramenti administrationem non simulat, & cum præfatæ orationes, seu benedictiones ad formam Sacramenti pœnitentiæ non pertineant.

538. Quæritur. An Confessarius, cui
pœ-

pœnitens mortem minatur, nisi absolvat, possit secreto dicere hoc verbum, *neutiquam*, & deinde clara voce addere: *Ego te absolvo?*

Resp. Non nemo docuit, non solum id esse licitum, sed etiam posse proferri verba absolutionis: *Ego te absolvo*: addendo postea submissa voce: *à Censuris*; utrumque tamen sane falsum est, atque adeo illicitum, ratio est, quia tam illud verbum: *Neutiquam* quam illud, *à Censuris*, submissa voce prolatum, perinde esset ac si mente tantum retineretur, sed locutio, cum restrictione mentali non est licita, ergo nec ea verba submissè prolata licita sunt; propterea in casu nostro; quando alio licito modo non posset Confessarius pœnitentem à suo proposito remove, deberet potius mortem subire, quam peccatum committere.

539. Quæritur. An possit Confessarius, ad non simulandam absolutionem, apponere conditionem?

Resp. Negative, nam ad evitandum unum peccatum, aliud committeret absolvens indispositum, etenim ad licitè impendendam absolutionem, debet prudenter judicare pœnitentem esse ritè dispositum, & solum ob justam causam potest impendi conditionata absolutio.

540. Quæritur. An qui post celebrata Sponsalia cum Berra, contraxit impedimentum dirimens, propter quod nec vult, nec potest promissionem implere, possit ad vitandam mortem, quam ei parentes Sponsæ minitantur, contrahere Matrimonium cum intentione non se obligandi, & simulandi contractum?

Resp. Negative, sive cum animo contrahendi contrahat, sive absque animo eam

ducat, semper peccat contra reverentiam Sacramento debitam, nam semper facit illud irritum. 1. Quia contrahit cum impedimento dirimente. 2. Quia simulat Sacramentum, nec potest ex metu quantumvis gravi excusari. 3. peccat peccato mendacii & deceptionis, si respondeat, se accipere Bertam in suam, animum enim contrahendi non habeat. Remedium itaque erit, ut ad S. Pœnitentiariam pro dispensatione super impedimento recurat, vel de eo conferat cum Episcopo, ut provideat, quæ sane est melior responsio pro praxi; quam allata à quodam recentiore putante, posse simulare matrimonium, ut contractus est, non verò ut Sacramentum, quæ quidem distinctio à Viro Catholico sustineri non potest.

U S U R A.

§41. **Q**Uæritur. An Mutuator possit excusari a crimine usuræ, si in mutuo aliquid supra sortem exigat; ob maiorem æstimationem, quam facit, pecuniæ præsentis; quàm futuræ?

Resp. Non posse excusari, ut constat ex propos. 41. inter damnatas ab Innoc. XI. Etenim quamvis in ordine ad alios contractus possit dici pecunia numerata esse pretiosior numeranda, in ordine tamen ad contractum mutui id non potest habere locum, nam in terminis mutuacionis, & in ordine ad illam non consideratur utilitas, quam potest habere mutuator, si non mutuet, & quæ possit reddere pretiosorem pecuniam præsentem, quàm futuram; tum quia si habenda esset in scrinio, non esset mutuatori utilior pecunia præsens, quàm futura, & si
ei